

illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius est inenarrabilis omnipotentia. qua nos gratuita bonitate fecit. nec tamen minus inenarrabilis gratia qua nos omnipotentissima miseratione saluauit. Qui et opus creatricis omnipotentiae gratis fecit. et opus gratiae saluatricis omnipotentiter impleuit. Illic habens potestatem condendi et regendi creaturam suam. hic habens potestatem ponendi et sumendi pro nobis animam suam. Omnipotentiam uero nunc dicimus. qua uerbum quod in principio erat. et apud deum erat. et de se erat. fecit omne quod non erat. Gratia uero qua uerbum caro factum. uenit quaerere et saluum facere quod perierat. Omnipotentiam qua fecit omnem diem. gratiam. qua certo die concipi. et certo die dignatus est nasci. Idem igitur minoratus paulominus ab angelis. in die factus est hominum. qui coaeternus et aequalis deo patri. dies sanctorum semper est angelorum.

In principio uerbum erat. Bene uenit in die de die. sa
 gnata conceptio nescit fabrum ministrant